LAVREÆ AVTVMNALES.

Variorum Fructuum Symbolis intertextæ;
VIRTVTI & HONORI,
VII. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatorum,
DVM
IN CELEBERRIMA UNIVERSITATE CRACOVIENSI,
PER
Clarissimum & Admodùm Rndum. Dominum,

M. SIMONEM WACŁAWSKI,

PHILOSOPHIÆ DOCTOREM ET PROFESSORẽ,
Collegam Minorem, Artisticæ Facultatis
DECANVM.
IN
Amplissima Celeberrimi Senatûs Academici præsentia.
Primò, in Artibus, & in Philosophia, Laureati
Honoris Decore, ritu Solenni
INSIGNIRENTVR,
Amoris verò Fraterni, & Gratulationis ergò,
A
FRANCISCO CLEMENTE BALICKI,
EIVSDEM LAUREÆ CANDIDATO,
Cum officioso gratulãtis Lyræ applausu mutuoq; affectu,
CONSECRATÆ.
Anno Salutis 1677. die 18. Mensis Septem.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

INSTEMMA
Illustris, & Magnifici Domini.



Cynthia dum lucis medium sinuatur in Orbem,
Auroram nitido continet illa sinu.
Pulchrius ex gemino coalescit sidere lumen,
Symbola virtutis, quod meruere Tuæ.
LVNA Tibi crescens, augmentum signat honoris;
Laudis inextinctum, fert Tibi STELLA iubar.
Desuper inuictus, decora vt clarissima seruet,
Virtutum custos, excubat iste LEO.

STANISLAVS BALICKI, Auditor Dialectices.

ILLVSTRI & MAGNIFICO DOMINO,

D. LAVRENTIO
DE GRANOW
WODZICKI,
THESAVRARIO TERRÆ NVRENSIS,
Zupparum Wielicensium, & Bochnensium,
ADMINISTRATORI DIGNISSIMO,
SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS SECRETARIO,
Domino Patrono, ac Benefactori Amplissimo.
AVTHOR
Omnigenam prosperitatem, cum debita obsequiorum submissione.



Vrarum fecundi, sed nec infecundi honorum, eruditi labores ea felicitate gaudent; vt non expectatâ plerumq; longioris tedij morâ, literati profectus etiam in tenerrioribus animis vbere prouentu, dulces maturescant in fructus. Quanquam enim pulcherrima quæq; decora, ætatem poscant; nihilq; citius dispereat, quam præcox maturitas: quæ partus suos, non tàm eniti, quam proicere videtur, mentium id tamen eruditæ fecunditati datum est; vt antequam ad summa Principis sapientiæ coronamenta veniat; laureatis per intermedios gradus, ad excitanda ingenia fructibus potiatur. Immensa prope res est sapientiæ studium, magnitudini eius etiam Nestorum ætas haud sufficit: semperq; post ingentia curarum, post rigidissimos Pythagoræ, Cleantisue labores; restat moles illius tam vasta, tam excessu suo impenetrabilis; vt quoties ad eam etiam sapientissimi animi respiciunt; erubescant ceu nihil adhuc egissent. Consultum in eo bonis ingenijs, contra hæc ardua, & spem prope omnem eripientia, honorum solatio; quos varie porticus erudita diuisit: vt ceu natura quoq; ipsa, non in omnia ijsdem temporibus fructuum germina prodit; sed variè illa pulcherrimo rerum ordine discriminat: sic & eruditæ laureæ non simul omnes; sed suaui alternantium camenarum seriè, ac velut dulcibus ad altiora inuitamentis, gradatim prouenirent. Non est otiosum, apud Palladem nostram, ipsum etiam anni delitium ver; in quo toties ex doctis frontibus, coronata scientiarum germina dependent. Quanto magis autumnus, honorum, & prouentuum ferax; totum se in plenos, eruditæ gloriæ gaudet profundere sinus. Ab hoc vbere autumno, Laureæ nostræ veniunt. Sapidis vtiq; nimirum ex Sapientiæ dulcore, fructibus onustæ: quos Tibi ILLVSTRIS, & MAGNIFICE DOMINE, cultus in Te meus, & prima in literis corona defert. Non est alienum ab insigni virtute, & prudentia Tua, qua polles; bonarum mentium curis, & incitato ad sapientiam genio fauere. quinimò laudatissimum semper habuisti, quidquid in ea hominis parte eminet; qua diuinæ

particulam auræ hausit, & animorum vi interna intelligentijs propior est. formauere animum Tuum curæ publicæ, & negotiorum maxima; ita tamen, vt ijs etiam gaudeas, quæ sapientum tripodes loquuntur; a quibus vitæ dogmata veniunt; & quidquid in via virtutis probum, secusuè habendum sit, decernitur. Nec vero illud Tibi vitæ genus placuit; quod sola agendorum meditatione, animos ab vsu rerum auellit; sed mentem tuam seriam, & cuiuscunq; prudentiæ capacem, ita vsui publico dedisti; vt Serenissimorum Regum Poloniæ, Procerum Regni, & optimi cuiusq; iudicio, honorifice satis approbari meruerit. Integritas pectoris Tui, fides illibata, dexteritas agendi, tot experimentis, & vsibus constans; apud coronatam Regum nostrorum Maiestatem eo loci habita est; quo prudentes non nisi, & selectis dotibus ornatissimi viri habentur. Fauebat Tibi AVGVSTVM *sidus* KORIBVTHEVM, SERENISSIMI OLIM MICHAELIS PRINCIPIS *nostri, ob clementiam, & animi bonitatem nunquam non desideratissimi; qui placidis in Te gratiæ suæ radijs ferebatur, secutus est Regium de Te Antecessoris sui iudicium,* SERENISSIMVS & INVICTISSIMVS IOANNES III. *Rex noster; æquè triumphorum ex hostibus, vt & animorum censuræ gnarus: qui maximum Regni thesaurum, salisfodinas toto Orbe clarissimas, fidei Tuæ commisit; eo de Tua prudentia, & integritate sensu, quem tanti muneris administratio, & spectatissimi in Te animi virtus requirit. Nimirùm fortunæ Tuæ innocenter quæsitæ, miram animi moderationem iunxisti, influens in animos omnium comitate, & affectuum temperiè: nec aliud opulentius patrimonium censes, quam beneuolas, & amicas Tibi voluntates; quas facilè possides, dum amore, & humanitate præuenis. Felix opum Tuarum certamen, etiam cum superis; pietate, & benefica in egenos manu, charitatis æmulatione tam beata, quam illa se non facile vinci patitur ab ijs; qui victoriam maximam putant, profuse ob amorem* DEI *beneficentiæ vsu, nunquam vinci. Habent & bonæ literæ, tesseram amoris Tui; quas in Me vt promoueas, Tua Te insignis humanitas, Tua singularis in Me gratia sic excitauit; vt nisi id, publico hoc venerationis erga Te meæ argumento testarer, amusum me omnino fieri, & Gratijs omnibus hostilia velle oporteret. Fructum proinde laurearum mearum, quem primũ ex literis capio, Tuo* ILLVSTRIS & MAGNIFICE DOMINE *honori consigno, Tuum esse volo; vt quod à teneris capi; maturitate studij vlterioris, in nominis Tui Decus, & maiores deinceps gratias assurgat. Hoc mihi à sideribus Tuis; hoc à Leone, stemmatis Tui fastigia tenente polliceor; ab illis nimirum incrementa lucis meæ; ab hoc magnanimi pectoris tutelam, & opellæ huius patrociniũ. quæ seruire nominis Tui perennitati voluit; eo pro Te ad superos voto; vt parem virtuti Tuæ felicitatẽ, annorum longæua series coronet.*

Illustris ac Magnificæ Dominationis Vestræ,

Cliens Humillimus

FRANCISCVS CLEMENS BALICKI,

Primæ Laureæ Candidatus.

B. JOANNI CANTIO,

Regni Poloniæ, & Academiæ Crac: PATRONO.

Eruditus Ubertatis Academicæ FRVCTVS, ad Sacros Cineres depositus.

CVM LEMMATE

DVLCIVS VT SAPIAT.

INNOCENS Virtus, & amica nostris
Rebus, ac Musis pietas, vbi Te
Fecit Augustis laribus quiesse
Optime CANTI.
Pronus inclinat Tibi destinatos
Mentium cultus, honor eruditus
Fusus, ad Sacros Cineres, & alti
Busta sepulchri.
Quidquid vbertas Sapiente fructu
Docta collegit; sine Te beatos
Copiæ nescit melioris vsus,
Surgere nescit.
Stoa fœcundis Iagellona plantis,
Quidquid excoctum, sapidumque quidquid
Germinat; de Te sapor. atque docti
Gratia fructus.
Mater hæc longo veneranda partu,
Atque viuaci senio, togatum
Quod ferat germen, genialis illi
Spiritus ex Te.

Illa tot Cælo genuisse Diuos,
Tot coronatis trabeis Monarchas,
Tot Tiararum decora, & Poloni
Fulcra Senatûs,
A Tuæ mentis potuit vigore:
Nec tot exhausta est, Patriæ procellis:
Nec tot angustis superata rebus
Fortior exit.
Laureis ergò pretiosa nostris
Dona, quæ fructu tulit erudito;
Hæc Tibi iussit pietas, amanti
Ponere cultu;
Illa maturum, sapidumq; germen
Nouimus quod non sapiat; sed à Te
Fructuum dulcor benedictus, omne
Nectar habebit.

Clarissimis & Excellentissimis DD. EXAMINATORIBVS,

Clarissimo & Admodùm Reuerendo Domino,

M. SIMONI WACŁAWSKI,

Philosoph. Doct: & Profess: Collegæ Minori, ac pro tunc Philosophicę Facultatis DECANO.

Clarissimo & Admodùm Reuerendo Domino,

M. VALENTINO MAZVRKOWICZ,

Collegæ Majori, Regio, & Tylicianæ Eloquentiæ Ordinario Professori, SANCTÆ ANNÆ CANONICO.

Excellentißimo ac Doctißimo Domino,

M. CASIMIRO STRASZYNSKI,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minori, Gratitudinis Symbolū.

Tres Coronæ Laureæ, Cedrinis Fructibus intertextæ.

CVM EPIGRAPHE.

HINC GRATIÆ PERENNES.



OMENTA rerum crescere sæculis,
Rursumq; tolli cernimus. hoc opus
Longæ vetustatis, subegit
Regna simul, trabeasq; Regum.

Fastigiatis quæ posuit Tholis
Ad ima tandem. scilicet omnium
Hæc meta, quæ longum stetere;
Vt senio cecidisse fracto

Gemant, & Orbi sola potentiæ
Fragmenta linquant. nec animos tamen
Hic eruditos casus vrget,
Aut senies caries vetusti.
Fatis supersunt, quas Peripateus
Ad æuiternæ spiritus entheat
Momenta vitæ. quod per artes
Mentibus æthereis propinquat
Cedros meretur. Cecropijs decus
Viuax Athenis. plenaq; gloriæ
Theatra, curæ literatæ
Porticibus meruêre doctis.

B 2 Quidni

Quidni perennes vos deceant quoq;
Fructus cedrorum; quos sapiententiæ
Victurus æuo longiori,
Ornat honos cathedris amicus!

Decora Stoæ purpura, quam Tuos,
Pulchros labores, murice vestijt
*Quam digna, W*ACŁAWSKI*, tot annis,*
Totq; Tuis meritis, coronat

Te literarum gloria! pectoris
Spectata quantum est integritas Tui,
Ilcussienses cui fodinæ
Sæcula de meliore ducta

Signant metallo. Te Sacra dignitas
Hic eminenti. quæ posuit loco
Seruabit, insignemq; mystam
Ire gradu dabit altiori.

Cedros perennes, sic meruit Tibi,
O Eloquentis gloria Tylici!
*M*AZVRKOWICZ *flos eruditi*
Nominis, & cathedras per omnes

Probata virtus; sedulo quam iuuat
Æui prioris lectio, pennaq;,
Dudum laboratos ad vsus,
Iudicio sapiente nixa,

Scriptisq; florens; quæ sapiunt Virum
Ex asse doctum. nobilis ingeni
Vigore, STRASZYNSKI*, Sophumq;*
Dogmatibus, Themidisq; cultu,
Perenne nomen; Tu quoq; florida
Mercris ætate oreq; gratias
Ferens diserto, digna rostris
Flexanimæ monumenta suadæ,
Implebis olim. sed triplicis decus
Iam Vos Coronæ, milleq; gratijs
Cedri perennaturus altùm
Poscit honos, cumulatq; doctis
Æterna votis, symbola. Viuite
Tot eruditæ sæcula gloriæ
Vestræ, quot ornamenta laudis
Dotibus, & meritis refulgent.

LARREÆ

LAVREÆ AVTVMNALES.

II. V.D. ALBERTO WEGRZYNOWICZ, Crac:

Corona Laurea, placidissimis Oleæ, quæ Palladi sacra est fructibus, ad literarum gloriã, & Oracula Themidis inuitans.

CVM LEMMATE

VESTIGIA CLARA SEQVARIS.

PAlladis hoc op⁹ est Tibi quod pulcherrima doctę
Symbola virtutis, præstanti munere signat.
Pax oleam, Musasq; decet. placidissima vitæ
Gratia, paccatos animos, carosque Mineruæ
Phæbeo super axe locat. Tu Cracidos almæ
Indolis egregiæ proles; Tu pectus amicum
Pacificis studijs, oleam virtute Paternâ
Atq; coronatâ Maiorum laude mereris.
Nempè Tibi Patruos Iagellona Pallade claros,
Doctoralis apex tulerat. STOBNICIA seu quem
Viderat insignem meritis, vitæq; probatæ
Vt gemmam Cleri summâ virtutę nitentem:
Seu Pilznense DECVS, quem sacris extulit aris,
Officijsq; dedit fungi præstantibus; ad quæ
Fert animum virtute parem nuperq; decorum
Romanâ Themidis lauru. Tu nomina tanta
Atq; exempla domi spectans; vestigia quo Te
WEGRZYNOWICZ præclara vocant, fac ritè sequaris.
Hoc Oleæ similis tranquillæ gratia mentis;
Hoc dociles animi dotes, & Laurea poscunt
Munera; quæ niueam dum, sentis cingere frontem;
Hoc age, vt has laurus virtutibus ipse corones.

III. V. D. SEBASTIANO KOWALSKI.

Ad eruditam Laurum, ex Eone arbore, quâ Argo Iasonis constabat, additi fructus, nec igne, nec aquâ, corruptibiles.

CVM EPIGRAPHE.

SAPIENS IN FESTA TRIVMPHAT.



Riscis Argolicos gloria sæculis,
Cultu quam celebri dixerat Heroas;
Gazam quod Phrygiam velleris aurei,
Inuictâ tulerint manu.
Argo sacra Dijs, dum Pelagus secat,
Ægeas hyemes; Ionium domans
Hellesponciacis, ausibus impetum
Incorruptâ mari dedit.
Ignes exsuperans, arboris Eones
Mirâui, nec aquis læsa tumentibus,
Sic quod palladijs constitit artibus
Vis non exsuperat malis.
KOWALSKI, studium tu quoq; diligis
Incorrupta Sophum dogmata, quod sapit,
Nec tolli metuit, cum sapientibus
Immortale decus ferat.
Aptum est his studijs ingenium Tibi,
Mens attenta vigil, curaq; seria,
Hac virtute tui pectoris, omnia
Vinces ardua sedulus.

IV. V. D. CASIMIRO IANVSZKOWICZ.

Dulces Tiburtini fructus, laureis virentibus inserti.

CVM LEMMATE.

GRATVS AB ELOQVIO DVLCOR.

Non est

NOn est gloria pulchrior,
Quam rostris veniens dulce loquentibus:
Qua priscum Latij decus,
Et gentis steterat fama Pelasgicæ.
Romanus quoties apex,
Facundi stupuit nomina Tullij?
Concessitq; togæ graues
Vt martis premeret sanguinei minas.
Suadæ Tybur amœnius,
Respondet sapidis vndiq; fructibus;
Quod tu munere Palladis
IANVSZKOWICZ habes. grata Demosthenis
Quidquid vincere gloria,
In rostris potuit sæpius Atticis;
Hoc Tu, fac tibi sedulo
Vt cedat studio, gratia Te decet
Oris flexanimi, potens
Insignes animos ducere quo volet.
Hac Tu per Cathedras Stoæ,
Gratus dulcor eris, doctaq; suauitas.

V. V. D. IOANNI DVMICZ.

Fructus laudatissimæ arboris Dodoneæ cũ Delphica lauru.

LEMMA.

VT IVSTA RESPONDEAS.

AD tripodem Phœbi, quæ se vernentibus olim
Delphis extulerat, Laurus amœna comis;
Pulchra Tibi, DVMICZ, tanto de numine promit
Munera, proposito rite dicata Tuo.
Diua Themis, si Te Iuris dictamine poscit?
Nobile si legum nosse Tribunal amas?
Insignes curas hoc, & præclara requirit
Dona, animi memoris, iudicijq; boni,
Sic olim Gratum petijt sapientia Delphos,
Arcanos Phœbi, consuluitq; lares,
Tu veterum monumenta legas; Tu Iuris, & æqui
Consule, quæ magni scripta dedère viri;

Ceu Dodona tulit, Diuorum non nisi dignam
Aris materiem, fructiferumq; decus,
Sic Themidis sapiens animus vulgaria spernens
Pectora selectis mentibus ille patet.

Hoc ergo vigili studium Tu perfice curâ;
Ingenij magno, iustitiaq; bono;
Vt responsa feras, maturo pectore digna;
Vt sis consilio promptus, & ore grauis.

VI. V.D. IOACHIMO STANCZEWSKI.

Germina admirandæ arboris, quæ propè Acesinem amnem, ad duo stadia frondes protendisse visa est.

CVM EPIGRAPHE.

ANIMI SPATIA DILATANDA.

ANgusta non est eruditis mentibus
Intus facultas. quidquid Orbe clauditur,
Rerumq; vasta mole naturæ subest;
Intrat recessus, & medullas pectorum
Sacras Mineruæ. sic Mathesis ordinem
Complexa rerum, pandit ingentes vias,
Cæliq; flexus, & profunda viscerum
Arcana Terræ, mira ceu vis arboris,
Quæ vernat altis Indicarum gentium
Remota Terris, frondibus latè patens,
Nec vsitatis æstimanda fructibus.
Huc o capacem, nobilis scientiæ
Aduerte mentem! Pulchra STANCZEWSKI patent
Tibi sophorum per cathedras dogmata;
Patet Mathesis altiorum conscia,

Emensa

Emensa cælos, orbitasq; syderum,
Vnoq; claudens pondus omne circulo.
Tu pectus illi consecrare sedulum
Stoamq; si vis eruditam iungere,
Constans ad auge vim capacis ingenî.

VII. V.D. SEBASTIANO WODZINSKI.

Dactyli palmæ arboris fructus insignes, lauream coronam ornantes.

CVM LEMMATE.

HÆC DVLCEDO LABORVM.



Minens Palmæ decus, inter omnes
Arborum plantas, sapidisq; gustum
Fructibus mulcens grauiore semper
Pondere surgit.
Inde victrices onerare dextras
Sueuit, augustos decorans triumphos:
Nempè dulcedo solidis paratur
Non nisi curis.
Si Tibi gustus placet eruditi
Dulce, WODZINSKI, sapidumq; nectar;
Arduos primum studij labores,
Ferre necesse est.
Seu graues malis cathedras sophorum;
Diua seu menti placeat Mathesis;
Hippocras seute valido medendi
Munere poscit.
Grandibus curis opus est, priusquam
Inde maturo potiare fructu.
Ergo fac in Te, solido triumphet.
Palma labore.

I. V. D. FRANCISCO BALICKI,

PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATO,

AVTHORI OPERIS.

Fructum pomorum aureorum, ex Hesperidúm Horto, cum Lauru Cæsaris Augusti, ab Aquila volante demissa.

ET CVM EPIGRAPHE.

ORNENT PULCHERRIMA VATEM.

In Signum amoris & gratulationis

V. D. ALBERTVS WEGRZYNOWICz

EIVSDEM LAVREÆ CANDIDATVS.

Offert, D Cq.



Vtumnus ex Te quando feracibus
Donis, BALICKI, germina fructuum
Inter Coronatas Mineruæ.
Spargit opes, viridiq; Lauru
Togata signant munera; quæ Tuo
Cedent honori symbola! quod decus
Musis amicum pectus in Te,
Palladijs referet corymbijs!
Vatem coronet Cæsareis apex
Demissus olim fascibus, & sacro
Dignus triumphali; thronoque
Imperij. Tua sic meretur.
Dos literatæ virida gratiæ,
Decusque Clari Nobile Sanguinis,
Suadæque dulcor, visque mentis
Aurea, quam Themidi sacrasti
Dignamur hinc Te fructibus aureis,
Lauruque digna Cæsare. nam Tibi
Formata præstanti metallo
Dat pretium generosa virtus,
Hæc Te secundis auspicijs feret
Ad summa rerum, plenaque gloriæ
Donabit ornamenta, quæ Te
Thespiadum. viridante lauru,
Æui beabunt fructibus aurei.
Sic viue felix, sic Tibi Gratiæ
Nectant coronatos honores;
Sic celebrent Tua plectra vatem.

Eidem Authori Operis Venerabili D. FRANCISCO CLEMENTI BALICKI,

Fructum Mali Persici, & Laurum, quæ in Parnasso spectatissima habetur,

CVM LEMMATE.

TIBI VERNAT PARNASSIA LAVRVS.

Honoris & Amoris ergò,

V.D. IOANNES DVMICZ, Primæ Laureæ Candidatus, Dedicat.



Ersicis arbor pretiosa malis,
Laureas ambit Tibi destinatas;
Musa dum lætis Tua nos honorum
Fructibus ornat.
Colle Phœbeo decet eruditas
Vt feras laurus, calamo BALICKI
Sat coronato, cytharaq; dulci
Inclyte vates.
Pulchra virtutum series, modestam
Indolem format Tibi cum PATERNÆ
Laudis accessu, facilisq; docto
Carmine Phœbus.
Iuris vt poscas sapiens tribunal,
Vtq; responsis grauibus, togatum
Impleas orbem, cupit Eloquentis
Gratia Suadæ.
Mille Te Fructus sapidi coronent,
Dextra quos fudit Tua mille Nimbis;
Seruiant dulces Tibi gratiarum
Vndiq; plausus.
Tota Parnassi viridantis in Te
Fama succrescat, Themidisq; virtus
In Tuo plenis animata votis
Viuat honore.





SVB FELICISSIMO REGIMINE.

Magnifici, Perillustris & Adm. R. Domini,

D. M. ALBERTI ŁANCVCKI,

I. V. Doctoris & Professoris Ecclesiæ Cathedralis Cracou: Canonici Electi, Collegiatarum, Pilecen: Archidiaconi, SS. Omnium Cancellarij, S. R. M. Secretarij, Almæ Vniuersitatis Academiæ Cracouiensis, Generalis & Vigilantissimi,

R E C T O R I S.